

**Josephi-Mariae Vigarous Dissertatio medico-chirurgica de gangraena :
quam publicis subiiciebat disputationibus in Augustissimo Ludovico
Medico Monspeliensi, die mensis Januarii anno 1780 : pro baccalaureatus
gradu consequendo.**

Contributors

Université de Montpellier. Faculté de médecine.
Francis A. Countway Library of Medicine

Publication/Creation

Monspeli : Apud Joannem Martel, natu majorem, regis, occitaniae
comitiorum, Universitatisque typographum consuetum, MDCCLXXX [1780]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/e4by7rjv>


License and attribution


This material has been provided by This material has been provided by the Francis A. Countway Library of Medicine, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Francis A. Countway Library of Medicine, Harvard Medical School. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

<http://www.archive.org/details/josephimariaevig00viga>

JOSEPHI-MARIÆ VIGAROUS

MONSPELIENSIS,

ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI,

NEC-NON

ALMÆ UNIVERSITATIS MEDICÆ MONSPELIENSIS
ALUMNI

DISSERTATIO

MEDICO - CHIRURGICA

DE GANGRÆNA,

*QUAM publicis subiciebat Disputationibus in
Augustissimo Ludovico Medico Monspeliensi, die
mensis Januarii anno 1780.*

PRO BACCALAUREATUS GRADU CONSEQUENDO.



MONSPELII,

Apud JOANNEM MARTEL, NATU MAJOREM, Regis, Occitaniae
Comitiorum, Universitatisque Typographum Consuetum.

M. DCC. LXXX.



DISPUTATURI.

N.N. D.D. PROFESSORES REGII.

N. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

N. D. PAULUS-IOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex*
Adjunctus.

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*


N. D. GASPAR-JOANNES RENE.

N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER.



PATRI SUO CARISSIMO

D. D.

BARTHOLOMÆO VIGAROUS,
E CHIRURGORUM MONSPELIENSIIUM COLLEGIO;

SCHOLARUM PROFESSORI REGIO

NOSOCOMII REGII ET MILITARIS CHIRURGO PRIMARIO,

SOCIETATIS REGIÆ SCIENTIARUM MONSPELIENSIS

NEC - NON


ACADEMIÆ REGIÆ CHIRURGICÆ PARISIENSIS SOCIO.

*H A S Studiorum primitias in æternum amoris
gratitudinisque monumentum,*

Dicat, vovet, consecrat,

JOSEPHUS-MARIA VIGAROUS.

Monspeli d abam anno 1780.



PATRI SUO CARISSIMO

D. D.

PATRI THOMAS VIGAROUS

CHIRURGICORUM HOSPITALIUM COLLEGIUM

SCHOLARUM PROFESSORI RECIO

NOTO COMITI REGII ET MILITARI CHIRURGO PRIMARIO

LOCUTORI REGIS SCIENTIARUM UNIVERSITATIS

PARISIENSIS


ACADEMIE REGIAE CHIRURGICAE PARISIENSIS SOCIO

Ille a 24 Junii 1780 primus in eadem anno
gentiliumque nominatus

Tuam, vobis, confect

JOSEPHUS-MARIA VIGAROUS

Libellus datus anno 1780



DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE GANGRÆNA.



INTER dira quæ genus humanum exercent mala, nullum est Gangrænâ gravius. Tantâ enim celeritate serpit, in correptas partes, ut nisi citò succurreris, de individuo clamatum est.

Non diversa fuit, veterum medicorum circa ejus originem, opinio; uno ore, maximæ inflammationi tributa est. » Gangrænas autem vocant, inquit *Galenus*, mortificationes ob magnitudinem inflammationis, non quidem factas sed quæ fiunt «. Quamplurimos in tractandâ Gangrænâ, ex hâc opinione nacti erant errores, quos tandem expulere longæ seculorum seriei observationes, & sanatius studium.

Sub variis apud Auctores nominibus, celebratur hic morbus: Græci, Gangrænam, sphacelum, appellant; à *Celfo* cancrum, à Latinis fideratio vocatur; apud

recentiores Æstiomēni, Sancti Antonii, vel Sancti Martialis ignis nomine cognoscitur. Eo tempore verò Gangrænæ vocabulo insignitur.

Gangræna est mortificatio incipiens in parte, id est, ea partis mollis affectio, quæ principium vitale paulatim extinguit; & cum omnis omninò vasorum organica actio, sensibilitas & vita extinguuntur, sphaceli nomen accipit. Mentem meam explano. Gangræna est mortificatio incipiens; constat enim tantum in cute & muscutorum superficie hæere; dum in sphacelo, non solum musculos sed & tendines, ligamenta, vasa, periosteum & ossa ipsa, vitâ carere notum est.

At verò hæc observanda veniunt phænomena: pars quæ antea dura, tensa erat, mollescit & prementi digito facile cedit, diu non reversura ad statum primum. Rubor in colorem pallidum liventemque convertitur. Cuticula à cute recedit. Nascuntur idatydes, ichore lymphatico, vel sanie subrubidâ aut flavâ plenæ. Sine correctione causæ cessant dolores. Valdè minuitur, & quasi extincta remanet sensibilitas. In sphacelo autem omnia hæc signa maximè adaugentur; color partis affectæ sensim magis flavescit, nigrescit. Adest perfecta mors. Dehinc foetor pessimus, & cadaverosus, corruptio brevi sphacelatum membrum occupat, & hæc est pars excidenda, ni velis corripianitur vicinia. Nec tamen credendum, per contagium in vicinas partes serpere mortificationem; sed ejusdem causæ existentia.

Non idem sonant ut contendunt nonnulli, Gangræna & putrefactio. Ferè semper sine putredine existit Gangræna, in uno tantum casu, ut inferiùs delineabitur Gangrænam præcedit.

Epidemicus non rarò observatur hic morbus in Nosocomiis, ubi aër, malignis onustus miasmatibus, vulnus quamvis minimum ad mortificationem vertit. Sine morâ avertendum tam grave incommodum. Ad hoc maximè prosunt, aëris renovatio aperturis novis, ignibus; combustio aromatum, aceti &c. Utilissimam in hoc casu, nitri deflagrationem expertus est Clariss. n. as de Boissieu.

Gangrænodeas epidemias, frequens sæpè producit auster; cujus humiditas omnes corporis fibras laxat, & solidorum vires minuendo, inertiam, humorum stagnationem & Gangrænam inducere valet. In collectaneis observationum medicarum, reperitur historia anginæ Gangrænodeæ, quam nimis perseverans auster produxerat. Sic gallicè se exprimit *Ambrosius Paré*.

*Quand Auster vente les Plaies ,
Bientôt elles sont de Gangrene navrées.*

Cum omnibus Gangrænam dividimus in humidam, quam semper concomitatur ingens humorum congestio: & in siccam; in quâ tali modo exsiccantur carnes, ut torrefactionis apparentiam præbeant.

Modò internas corporis partes, modò externas adoritur: de eâ tantùm quæ externas afficit, in hocce tentamine questio erit.

Gangrænæ causa proxima, est destructio actionis organicæ vasorum: multas alias remotiores agnoscit: contusionem nempe, inflammationem, strangulationem, frigus ingens, animalium venenatorum morsum, humorum degenerationem putridam. Variorum etiam morborum est residuum, ut v. g. scorbuti, febrium malignarum, pestilentium, viru venerei, strumarum. Quandòque à vesicantium, causticorum, applicatione oritur.

Prout varietates offerunt variæ illæ causæ, singulas vicissim enucleare satagit.

Statim ac contusionem passâ est pars quædam; vascula instrumento contundenti, & ossibus interjacentia, validè nimis adstricta, disrumpuntur; effunduntur humores in adiposas cellulas, ibi stagnant, interruptisque circulatoriis motibus indefensi, ad mortificationem vergunt. Tantâ nonnunquam infligitur violentiâ ictus, talemque excitat commotionem; ut contextè stupor occupet partem, in quâ diù nullum sensibilitatis nec vitæ signum deprehenditur. Enim verò quò violentior ictus & magna resistentia; eò major est

commotio, èd periculofior, èdque maxima ad Gangrænam dispositio. Hujusmodi potiffimùm obfervationes fuppeditant, vulnera ab inftrumentis ignivomis.

Gangrænam femper ab inflammationis magnitudine & intenfitate oriri, exiftimabant veteres. Haud dubiè à vero errabant; ad violentas contufiones, nervearum partium puncturas, aliasque caufas adhucdùm cognitæ non attenderant. Sed tamen, inter omnes qui de Gangræna fcripferunt, Præftantiffimus D. *Quesnay*, nimis est, cùm afferit; inflammationis exceffum, nullatenùs poffe Gangrænam producere. Hujusce affertionis falſum demonſtrabimus, paucis exponendo, inflammationis theoriam.

Fluidorum in vafis fluxus & refluxus, vitam conſtituunt. Nihil aliud eſt inflammatio, quam majus vel minus in vaſorum extremitatibus obſtaculum. Non ſolùm enim capillaria, intercluſa demonſtrantur; verùm etiàm lymphatica vaſa. Celeberrimus *Vieuffens*, in inteſtinis Hominis inflammatione in hâc parte defuncti, vidit lymphatica vaſa, penitùs ſanguine plena. Illuſtriſſimus necnon admodùm Venerandus, hujusce Lycæi Profeſſor & Decanus D. *de Lamure*, ad Cadaveris aperturam, canalem invenit thoracicum tali modò ſanguine plenum, ut ſanguineum vaſ eſſe exiſtimaffes. Si in lymphaticorum vaſorum initio tantùm, locum habeat obſtructio, per regreſſum reſolvi poterit inflammatio; ſed ſi in integrum intercluſa ſint; ſatis ſuperque exiſtet infarctus, ut Gangrænoſus fiat, nullâ abſolutè malignitate inflammationis comite.

Nonnunquam, cum inflammatione adefſt quædam malignitas, quæ partes maximâ ſenſibilitate donatas irritando, contractiones & ſtrangulationes vehementes excitat. Eſt alia vehemens inflammatio, oriens à materie corruptâ, peſtiferâ, in corpore deliteſcente, naturæ beneficio verſus exteriores partes propulſâ. Hic eſcharam format præduram, nigram, ad inſtar carbonis; undè carbunculi vocabulum. Graſſante peſte potiffimùm obſervantur. Hoc corripuntur morbo animantia; illorumque carnes ſi manducentur

manducentur eundem producant effectum. In nosocomio Monspeliensi observatum est: viginti-quatuor Milites, qui cibos bovis carbunculo defuncti comederant, ingestis statim carbunculis confossos fuisse, tali modo ut decem ex illis de medio ablati fuerint.

Inter frequentissimas Gangrænæ causas referri potest strangulatio; cui locum præbent: compressiones omni modæ, ligaturæ; nervorum aponevrosium, tendinum, periosteï puncturæ.

Sæpè sæpiùs gignuntur, in vasorum viciniis tumores præduri schirrosi, qui sanguinis circulationem interrompunt. Tunc pars in quâ serpit compressum vas, vel nimio vel pauciore sanguinis affluxu, à mortificatione sensim corripitur. 1^o. Nimio sanguinis affluxu; si compressa venâ, impediatur sanguinis reditus ad cor; congestio quæ supervenit, stagnatione depravatur, & in Gangrænam degenerat. 2^o. Paucior sanguinis affluxus Gangrænam inducet; cum ab arteriæ compressione, pars nutritione orbatur. Undè patet, venarum compressionem humidam, & arteriarum siccam, efficere Gangrænam.

Cum comprimuntur nervi; spirituum animalium impeditur accessus; vita languet, extinguitur; brevique putredine excipietur pars, ubi non aderit. Omnes mechanicæ compressiones; longior in eâdem parte decubitus, vitam extinguere possunt; in dolentissimis morbis, arthritide, podagrâ; cum ægros minimus motus acerbissimis tormentis afficiat: in acutis, ubi positionis mutationem non patitur virium defectio. Non diversa sunt in ligaturis ac in compressionibus phænomena.

Nervorum, aponevrosium &c. puncturæ; à lanceolis, gladiis, ossium fragmentis, aciculis, spinis: validas excitant strangulationes, undè oritur infiltratio, quæ non rarò procul ex strangulato loco recedit, ita ut, scarificationes in parte, ubi maxima apparet congestio; nullatenus remedium malo afferant, nì reperto strangulationis puncto, profundis destruaturs incisionibus.

In herniis incarceratis , intestini portio , in herniario sacco hærens , prohibitis humorum transitu atque refluxu , facile Gangrænâ afficitur.

Haud quidem necesse est , acerbissimo frigori exponi partes , ut Gangrænosæ fiant. Multi Gangrænodeâ anginâ correpti sunt , quod valdè caliti frigidam aquam biberant. Non tamen est , quod nunquàm parentem agnoscat summum frigus , Gangræna ; refert *Ambrosius Paré* , se tale vidisse , ut ægrorum nosocomii nasos , exceperat mortificatio. Subita loci sat calidi in frigidum transitio , eundem edit effectum ; „ dùm profundum puteum mundare vellet „ famulus , Julio mense , summum frigus percepit , simul- „ que dolorem atrocissimum in magno pedis sinistri di- „ gito , qui paulò post ad malleolos ascendebat : tota hæc „ pars vero sphacelo erat corrupta , & post horæ spa- „ tium , jàm ultrà cruris medietatem ascenderat , & procul „ dubio brevè sustulisset hominem de medio , nisi subitò „ extirpatio facta fuisset „.

Ambustio ficcam deberet Gangrænam producere , cum urat atquè exsiccat carnes : sed ut optimè notavit *Celeb. Quesnay* , ignis actio , se in vicinia intendens , permagnâ ea excipit inflammatione , quam ingens sequitur humorum congestio , undè humida.

Dira quæ , in animalium venenatorum morfu , animale œconomiam turbant symptomata , provocat veneni malignitas ; duos singulares effectus edit : hinc ad principii vitalis defectionem etiàmque extinctionem tendit , illinc irritationem summam , cum spasmodicis contractionibus , excitat. Generalia quæ ex his pendent accidentia , sunt v. g. animi deliquium , anxietates , sudores frigidi , vomitus. Ister quandòque manifestatur. In parte verò , hæc observanda veniunt ; post morsum , tumor cum dolore , tensione , inflammatione elevatur ; deindè minuitur dolor , tensio in œdematosam mollitiem degenerat , frigus partem occupat , non procul abest Gangræna.

Gangræna sæpissimè causam agnoscit humorum degene-

rationem putridam , quæ locum habet , ut in medium protulere chemici , aëris fixi evaporatione , cui favet exterioris aëris actio. Quandiù in integrum conficiuntur circulatorii motus , quandiù secundum naturæ leges , existit solidorum & fluidorum reciproca actio , nullamque continui solutionem passa est cutis ; ab exterioris aëris impressione , omnia tuitur natura. Sed si fluida , nimis diù amisso circulationis flumine , in parte quâdam stagnent , ut in quibusdam œdematibus , in vetustis abcessibus , in hydropicis ; fit motus putredinis intestinalis : tunc quantâcumque causâ lædatur cutis , evaporatur aër fixus , (ut semper chemi-
corum sermone utamur) , & nascitur Gangræna. In scorbuto , febribus pestilentialibus , malignis , putridis , viru venereo , strumis ; fermentationem experiuntur humores , & ad malignitatem & corruptionem vergunt ; tùm si partem quandam adeant , quò magis à circulationis centro distabit , eò potius quam in propinquiore mortificationem efficient.

Non rarò evenit naturæ beneficio Gangræna , ad felicem cujusdam morbi terminum. Vidit Parens mihi Carissimus D. *Vigarous* , Virginem Deo addictam , jampridem viru scorbutico infectam , quæ post atrocissimum utriusque pedis dolorem , sphacelo correpta est. Invitis scarificationibus aliisque remediis , quotidie progrediebatur , sed tandem versus pedum medietatem stetit , & amputati maximo cum successu fuere ambo pedes. Sanata hæc mulier decem adhuc circiter annos vixit , sana & incolumis.

Ex vesicantium applicatione , non rarò oritur Gangræna. Anno 1763 , in Monspeliensi nosocomio gravis vige-
bat epidemia , in quâ violento modo , vertigines , surditates , ophtalmiæ &c. observabantur. Felici cum successu vesicantium applicatione supra caput debellata fuit ; sed in quibusdam casibus acriora hæc topica ; ad instar causticorum , talem escharam gangrænodeam effecere , ut ossa ipsa carie essent affecta.

Jamjam omnes circiter humidæ causas memoravimus ;

quædam nunc dicenda de ficcæ origine. Ista, suâ ficcitate ab humida differt, consequenter ab omni immunis est corruptione, diùque absque ullo incommodo servata sunt membra.

Omnes causæ quæ sanguinis circulationem, vel spirituum animalium accessum interrumpunt v. g. nervorum, arteriarum, compressiones, ligaturæ; extrema caducitas; omnes quæ arteriarum actionem organicam extinguunt, ficcam valent Gangrænam inducere. Sed adest miasma malignum, per respirationem, vel cum alimentis, in humani corporis vasa introductum, cujus adhuc ignota sunt natura & agendi modus.

Gangræna ficca potissimum observatur in senibus, in quibus debilitatâ ob summam ætatem, arteriarum actione organicâ; membranæ quæ illarum texturam formant, ossæam naturam acquirunt. Frequentissima est Gangræna, quæ ab usu fecalis corrupti originem ducit; sed tantum afficit eos, quos durior fortuna fecalis pane uti cogit. Lassitudines, extremitatum torpedo, frigus, dolores atrocissimi præcipua sunt quæ apparent symptomata. Materies usus fecalis corrupti residua, non aliter ac venenum, ad actionis organicæ vasorum extinctionem tendit. Ex jam dictis explicari potest, cur hoc Gangræna genus in extremitatibus incipit, progrediendo ad superiora.

Admodum periculosa & gravis est Gangræna quæ externas partes afficit, dum absolutè lethalis est illa internarum partium. In sphacelo, necessaria fit amputatio. Varia prognosis, ab ætate, temperie morbis, viribus, causis, anni tempestate, loco affecto; & prorsus inutile est animadvertere, expectandam potius sanationem in juvene, quam in sene, infirmo, aut cachectico, vel minus periculosam esse Gangrænam quæ in superficie hæret.

Curatio plura complectitur. Vires firmandæ, cum omnibus quæ spiritus excitant: vinum rhenanum, hungaricum aut canariense; succus citri, aurantiorum; aptissima pariter sunt corroborantia, cardiaca; spiritus nempe,

essentiæ , pulveres , aquæ , electuaria confortantia.

Cum hæc prima adimpletur indicatio curatoria , aperienda stagnantibus humoribus via , scarificationibus secundum partis longitudinem aut fibrarum directionem. Harum altitudo , Gangrænæ crassitudine mensurari debet. » Quod enim » vitium majus est , inquit *Tagault* eò majore remedio » ut cuique constat indiget «. Cavendum in instituendis scarificationibus, ne detrimentum accipiant partes adhuc vivæ , nam in venas ingrederetur corrupta materies , totamque humorum massam inficeret. Cohibendæ sunt, in partibus œdematosis , nam per se Gangrænam inducunt. Admovent nonnulli sanguisugas , & venas minores proximas aperiunt ; verum profundæ illæ scarificationes , multò sunt ad hujus mali curationem efficaciores.

His prælibatis alia adhuc pro casu remedia exigit. Agitur ne ? Intestinum putredinis motum impedire in humoribus , quorum velocior , nimis moderata vel extincta circulatio ; vehementem calorem temperare ; fluida condensata solvere ; illorum acrimoniam emendare ; solidorum tonum laxare vel augere ; indicantur , emollientia , anodyna , temperantia , discussoria , reperiçientia , adstringentia. Si putredinis progressibus obstare necesse sit ; aptissima sunt , amara , aromata , acidi , sales. Sed cum emendanda veniunt humorum vitia , adhucdum palmam obtinuit Kinakina.

Sub cataplasmatum , fomentorum , decoctionum formâ adhibentur , omnia hæc. Plantæ ex his classibus sumptæ , quarum in Gangrænâ maximus usus est , sunt ; scordium , alliaria , salvia , angelica , absinthium , anthemis , sambucci flores &c. fomenta cum spiritu vini , aquâ vitæ camphorata , maximâ vi pollent antisepticâ ; his tamen priùs habet acetum *VanSwietten* , quod nec solida induret nec fluida coagulet. Sales ; marinus , nitrus , ammoniacus ; in fomentis diluti , gangrænodeis partibus applicantur.

Prægressis asseruimus lineis , nullum esse ad corrigendam præavam humorum diathesim medicamentum , præter

Kinamkinam. Hic cortex suæ adstringenti virtuti, & fermentationi quæ in ventriculo, & intestinis experitur, debet illam præstantissimam facultatem, quâ humoribus requisitam densitatem dat, solida corroborat & salutare efficit ejectiones, cum à sagaci in arte manu regitur. Non exhibendus quantum fieri poterit, nisi prægressis emeticis aut catharticis, & absolute suppressendus in diathesi inflammatoriâ, ubi adest sensus irritatio. Sub quâcumque formâ adhibeatur, internè & externè, salutare effectus habet; naturalis efficacior est, quandoque laxantibus jungitur, denique pro casu variatur. Quam plurimos hujus successus laudant, numerosi maximâ famâ viri: *Rushwort, Amyand, Douglas, Shipton, Monro* &c. In Gangrænâ, pravis ulceribus, in variolis. In Gangrænâ præsertim, sub clysteridis formâ mirabiles edidit curationes Ill. *Monro*.

Animadvertit tamen Famosissimus *Percival Pott*, Kinamkinam, cum quo benè multas Gangrænas sanaverat, in uno duntaxat casu, operam denegasse. In mortificatione pedum, quæ causam à cognitis diversam habet, & quam potissimum in divitibus, libidinosis, multi cibi viris; quam in egenis aut diurnâ mercede viventibus observavit. Prosperâ cum fortunâ peruviani corticis defectui succurrit, frequente opii usu. Tertiâ quâque horâ hujus granum administrabat, operam dans clysteriis, ut evacuetur alvus.

Non sine successu in quibusdam Gangrænis usus est *Cel. Fouquet*, more *Clar. Storck*, decocto foliorum cicutæ.

At verò cum in sphacelum degeneraverit Gangræna; nulla restat sanationis spes quam in amputatione. Sed noli partem tangere, dum progreditur mortificatio; amputati enim membri extremitatem corripere, brevique ægrum de medio auferret. Fove tantum partem, cum fomentis spiritus excitantibus, & sphaceli terminum patiens specta. Statim ac sistiterit, (quod cognoscitur lineâ rubrâ dividente partem mortuam à sanis); instituenda tunc amputatio.

In contusione ubi adest ingens congestio, scarificationes ad expurgandam partem instituendæ. Excidendæ etiâ

mortuæ portiones , tam profundè quàm possibile , tùm ad favendum topicorum actioni , tùm ad exuendum vulnus ex illis corruptis quæ vicina loca afficerent. Si vicinia partis , cujus periculosa esset læsio , totalem corrupti sectionem impediat , acerrimis antiputridis tuenda pars ; sal ammoniacus , marinus in hoc casu efficacissimi sunt. Non aliena hîc esset carniû torrefactio cum fervente oleo vel spiritibus acidis. Cùm post contusionem adest stupor. Excitandum stimulantibus , vesicatoriis , cardiacis , vitale principium languens & peni extinctum.

Gangræna quæ ob inflammationis magnitudinem oritur , diætam & venæ sectionem exigit ; in inflammatione verò malignâ quæ ad principii vitalis extinctionem tendit , contrâ - indicatur absolutè venæ sectio. Nàm quò major mitetur sanguinis copia , eò minorem maligni miasmatis actioni resistantiam objiciet natura. Itaque nedùm debilitetur æger , è contrâ excitandæ sunt vires , & revocanda abiens vita.

Acceleranda quantùm fieri poterit , in carbunculo escharæ separatio , cauterisatione cum aquâ forti , vel lapide caustico. Nonnulli ad scarificationem veniunt , alii excisâ carbunculi summitate , vulnus inungunt cum spiritu vini camphorato calido , vel cum spiritu vini in quo digesta fuit theriacæ portiuncula. Commendantur , internus theriacæ usus , diætâ &c.

Cùm à membranarum , aponevrosium contractione pendet Gangræna , emollientia , anodyna , laxantia , incisiones , venæ sectio sæpiùs repetita , omnem adimplent paginam. Extrahenda citò extranea corpora , ossium portiones , si ab illis pendeat strangulatio. Proponunt antiqui , nerveæ partis læsæ cauterisationem , cum therebentinæ oleo vel alio quocumque ex aromatibus extracto.

In herniis gangrænâ implicatis , secanda corrupta intestini portio & fovenda pars cum therebentinæ spiritu , quem optimum antiputridum in his casibus , habet Ill. *de la Peyronie*.

Ad sanandam Gangrænam quam procreat nimium fri-

gus , immergenda pars , suadente *Hildano* , in aquam frigidam , deindè adhibenda ut conficiatur humorum solutio , stimulantia , cardiaca , calefaciencia.

Quandò pendet Gangræna ab ambustione , scarificationes & emollentia cum successu adhibentur. „ Haud alienum hîc esset , inquit *Heisterus* partem adustam , ut „ digitum vel manum , candelæ protinus , vel igni obijcere tandemque quam proximè diutissimè quam propter „ dolores fieri potest ità continere vel & alternis nunc „ remove , nunc denuò admove donec & caloris & „ doloris sensus se se remittant „.

In Gangrænâ ab animalium venenatorum morfu , congestio quam creat nervearum partium contractio , profundas exigit scarificationes , deindè usus internus & externus theriacæ in aquâ vitæ solutæ , omnes adimplere fines videtur.

Gangræna quæ humorum degenerationi putridæ supervenit , per antisceptica præsertim acida tractanda est ; sed jam kinækinæ utilitatem laudavimus.

Cùm à viru quocumque pendet per illius specificum debellatur.

Lento gradu ut plurimùm serpit ficca Grangræna , quandòque rapidissima est progressibusque obstare , impossibile. Cùm à caducitate oritur , cardiaca corroborrantia exigit ; si maligno miasmati originem debet , nullatenus in dubio est peruviani corticis efficacia. Proponunt nonnulli humorem malignum protinùs evacuare , antequàm sibi viam aperiat. Vix opus est dicere , nullo posse modo institui amputationem , nisi priùs veræ appareant mortificationis limites.

Sed finem nostræ imponamus dissertatiunculæ ; si minùs benè , ab inexperto juveni , hæc tractata fuere ; in posterum juvabit experientia.

FINIS.

4/2/68-8861

COUNTWAY LIBRARY OF MEDICINE

RD

628

V68

